



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatum iniudiæ indubitanter tam à Deo quàm ab hominibus damnatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

næ damnationis.

*Peccatum inuidiæ indubitanter tam à
Deo quàm ab hominibus
damnatur.*

Inuidia (qua homo tristatur de prosperitate alterius similis seu æqualis vel sub aliis verbis, qua homo tristatur de bono alterius quasi diminuat propriam excellentiam) peccatum est: quia tristatur quis de bono alieno, de quo debet potius gaudere. Et est ex suo genere peccatum mortale: quia contra charitatem, qua bonum proximorum diligere tenemur. Et propriè inuidia est quum aliquis dolet quod alius prosperetur, non propter aliud, sed propter hoc solum quod ille parum à se distans, bonum seu melius habet: apprehendit enim inuidus quasi illius bonum sit suæ diminutio excellentiæ. Qui autem tristatur de bono alterius propter aliquam conditionem adiunctam (puta propter damnum inde sequens, aut quia caret ipse, aut quia indignus habet) non est inuidus. Et sunt tres: scilicet timidus, æmulus, & nemesius, de quibus in suis vide locis. Et sicut contingit in aliis vitiis, ita hic intellige inuidiam ex voluntatis cōsensu esse peccatum mortale: sine deliberatione autem esse veniale: vt in motibus passionum imperfectis, & similiter in rebus minimis. Nec inuenitur inuidiam humanam habere plures species. Dico autem humanam propter inuidiam fraternæ gratiæ, qua quis tristatur de diuinæ gratiæ diffusionem seu participationem: quomodo hæc inter peccata contra Deum est & ponitur peccatum in Spiritum sanctum, & est grauissimum.

*Ira quando sit permissa,
& quando prohibita.*